


7.

Pr. 23. num. 20

1774
2a 20

DE
 QVAESTIONE:
 VTRVM VSVRAE VENIANT
 IN
 CONDICTIONEM INDEBITI?



14

AVCTORITATE

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
 PRAESIDIS

D. HENR. IOANNE OTTONE KOENIG

REGII SCABINATVS DVCATVS MAGDEBVRGICI, QUI HALAE EST,
 ASSESSORE ORDINARIO,
 ET IVRIVM PROFESSORE PVBLICO EXTRAORDINARIO,

DIE XII. OCTOBR. MDCCCLXXIV.

DISPVTABIT

AVCTOR ET RESPONDENS

CAROLVS ERNESTVS HENRICVS SCHVLTZE

BEROLINENSIS.

HALAE

AERE HENDELIANO.




VERUM VSYRAE VERIANI
CONDITIONEM INDEBITIS

AVGUSTATE
LEITATE SOTERH ORDINIS
VERUM VSYRAE VERIANI
D. HENR. JOHANN. OTTONI KONIG
CONDITIONEM INDEBITIS

AN ORDIN. DE CONCORDIA P. 10. IN DIE
15. JUNII 1571. H. 10. 1571. 10. 1571.
1571. 10. 1571. 10. 1571. 10. 1571.





DE
Q V A E S T I O N E:
V T R V M V S V R A E V E N I A N T
I N
C O N D I C T I O N E M I N D E B I T I ?



Instituti ratio.

In doctrina de conditione indebiti, vt in ple-
risque aliis iuris materiis, varias esse, quae
inter interpretes agitari solent, controuersias,
neminem, nisi hospitem in iuris scientia, fu-
gere potest. Sic enim disputant, vtrum conditio indebiti sit

A 2

actio

actio stricti iuris, an vero bonae fidei? item, vtrum id, quod ex ignorantia iuris indebite solutum est, repeti possit, nec ne? et quae sunt reliqua, quae habent ii, qui hac de re data opera tradiderunt ^{a)}. Inprimis autem id quoque disceptari videmus, vtrum usurae veniant in conditionem indebiti ^{b)}? De hac quaestione eleganti illa pariter ac vtili praesenti tenui libello agere decreui ^{c)}.

§. I.

- a) Vid. §AM. DE COCCETI *Iur. controu. ciu.* sub tit. *de condit. indeb.* nec non III. CAR. FRID. WALCHII *Introd. in controuers. iur. ciu.* pag. 358. seq.
- b) Verbum *venire* frequentissimum est Iureconsultis. In actionem *venire* dicuntur, quae vi ac natura actionis peti possunt, vid. L. 14. §. ult. D. de reb. auct. iud. possid. L. 1. §. 3. et 21. D. de aq. et. aqu. plu. arcend. L. 3. §. 1. D. de act. emt. Ceterum conf. TRISSONIVS de *Verb. Signif.* edit. nouiss. p. 1342.
- c) Qui quaestionem hanc peculiari libello exposuerit, praeter V. C. FRID. GOTTL. ZOLLERYM, cuius extat exercitatio iuridica quaestionem vtrum per conditionem indebiti repeti possint usurae continens, Lips. 1768. inueni neminem.

§. I.

Ad quid detur conditio indebiti, si res fungibilis indebite aata est?

Finis conditionis indebiti generatim quidem in eo consistit, ut id, quod indebite solutum est, restituatur arg. *L. 1. §. 1. L. 26. §. 3. D. de condict. indeb.* At varius ille est pro diuersitate eius, quod indebite solutum est *d)*. Si res fungibilis indebite data est *e)*, tendit ad tantumdem restituendum. Vid. *L. 7. D. eod.* vbi POM-
PONIVS Libro IX. ad Sabinum ita scribit: *Quod indebitum per errorem soluitur, aut ipsum, aut tantumdem repetitur. Ipsum re-
peti vult POMPONIVS, si res non fungibilis seu species, tantum-
dem vero, si res fungibilis seu quantitas indebite data f).* Add. *L. 19. §. 2. nec non L. 65. §. 6. D. eod.*

§. II.

An usurae quoque debeantur?

Merito autem quaeritur, si res fungibilis indebite data est, an usurae quoque debeantur. Pone sequentem speciem. Titius Sempronio indebite soluit mille thaleros. Post annum, quam Titius compererit, se nihil debere Sempronio, conditione indebiti

A 3

ab

d) Pertinet huc diuisio conditionis indebiti in conditionem *certi* et *incerti*, de qua vid. *CLYDIUS tract. de cond. indeb. C. II. n. 56. seq.* *LIT-
TOLD tract. de cond. ind. C. III. §. 2.* *L. H. BOERMER Introd.*
in Jus Digest. sub h. t. §. 10. et III. HELLFELD. Jurisprud. forens.
eod. tit. §. 835.

e) Quo in casu solutio indebiti proxime accedit ad mutuum, unde etiam *pro-
mutuum* ab interpretibus vocatur. Vid. *CLYDIUS Obseru. Lib. VIII.*
c. 34. VOETIVS Comment. ad Pand. sub h. t. n. 1.

f) Conf. *GER. NOODT Comment. ad Pand. sub hoc tit. p. 300. seq.*

ab eo repetit pecuniam indebite ipsi datam, et quidem cum usuris. Iam quaestio oritur, utrum Sempronius Titio non solum ipsam quantitatem indebitam reddere, sed et usuras eius praestare teneatur. Variæ sunt hac de re virorum doctissimorum sententiae.

§. III.

Non debentur usurae.

Ego quidem nullus dubito, eorum sequi sententiam, qui usuras in conditionem indebiti venire negant, idque tam de iure Romano, quam de iure hodierno Germanorum communi *§.* Nitiur haec opinio et iuris analogia et ipsa legis dispositione, ceu nunc pluribus ostensuri sumus.

§. IV.

Id quod probatur.

Sunt quatuor omnino usurarum fontes, ultima scilicet voluntas, pactum, mora et legis dispositio imediata *h)*. Quodsi igitur usurae venirent in conditionem indebiti, vnus saltem horum fontium adesse deberet, ex quo promanarent, sed nullum plane adesse, facile perspicitur. Ac primum quidem, quod ad usuras attinet, quae ex ultima voluntate et ex pacto descendunt, iis hac in actione locus esse nequit. Etenim conditio indebiti nascitur ex

§.) Ita sentiunt IOANN. VOETIVS in *Comment. ad Pand. sub h. t. n. 12.*
I. H. BOEHMER in *Introduct. in Jus Digest. sub h. t. §. II. et in*
Doctr. de actionib. S. II. C. V. §. 26. III. HELLELD in *Jurisprud.*
forens. sub eod. tit. §. 835. III. WALCHIVS in *Introduct. in controuers.*
jur. civ. p. 356. III. HOMMELIVS in *Rapsod. Quaest. n. XXVIII.*
et plures alii.

h) Sola aequitas obligationem ad usuras non inducit. Vid. LEYSER *Me-*
dir. ad Pand. spec. CXLIV. et CXLVIII. Add. GER. NOODT. tract.
de foenore et usuris Lugd. Bat. 1698. 4. et in EIVS Opp. Tom. I.

ex solutione indebiti, solutio indebiti est quasi contractus ^{d)}, ut cum schola loquamur, quasi contractus autem eiusmodi sunt negotia, quae et inter viros geruntur, et in quibus obligatio oritur circa conventionem *L. 5. §. 1. D. de O. et A. pr. I. de oblig. quae quas. ex contr.* Porro neque ex mora peti possunt usurae. Datur enim haec conditio aduersus eum, qui indebite datum ignorans accepit, sciens enim si accepit, ipsa conditio furtiua locum habet ^{k)}, vid. *L. 38. §. 1. D. de solut. L. 18. D. de cond. furt.*: ignorantia vero moram excludit ^{d)}. Denique nec immediate ex lege debentur usurae. Nam, si hoc esset, adesse deberet lex, qua id cautum, sed talem legem ego quidem inueniri haud potui, et magnus ille mihi erit Appollo, qui eam in medium protulerit. Quae
quum

^{d)} Dissentiant interpretes, utrum solutio indebiti sit quasi contractus. *IVGO DONELLVS* in *Comment. Iur. Civ.* Lib. XIV. cap. 16. et 17. et alii putant, solutionem indebiti verum esse contractum, sed falsa est haec opinio, et iam satis refutata ab *OSW. HILLIGERO ad Donell.* l. c. *IAC. MAESTERTIO de Iustit. Rom. leg.* lib. II. dub. 29. pag. 297. sq. et *ARN. VINNIO Comment. ad Iust. iur. de obl. quae quas. ex contr.* §. 6. Interim non negamus, verum adesse contractum, si expresse id actum fuerit inter partes, ut indebitum si postea apparuerit, restituatur: quae est species, de qua *VLPIANVS* tractat in *L. 2. pr. D. de cond. incl.* Neque subscribere possumus doctissimo *I. H. BOEHMERO* in *Doctr. de Act. sect. II. c. V. §. 2.* sq. defendenti, solutionem indebiti esse obligationem immediatam, quum clare Imperator *IUSTINIANVS* in *§. 6. Inst. de obl. quae quas. ex contr.* doceat, eam quasi contractum esse.

^{k)} Quae durior est, quam conditio indebiti. Vid. *I. H. BOEHMER Doctrin. de action. l. c. §. 28. not. 1)*. In qua quidem usuras deberi, nullum dubium est. Vid. *LEYSER Medic. ad Pand. spec. CXLVIII. med. X.*

^{d)} Vid. *CHRIST. FRID. GEORG. MEISTER* diss. de *moraie notione iurid.* §. 27. ff. in *Eius Opusc.* pag. 241. Ceterum notandum est, reum secundum Ius Romanum per litem contestationem, secundum ius hodiernum autem per citationem cum reo communicatam in mora constitui (vid. *CAROL. GODFR. WINCKLER* diss. *discrimen inter litem contestat. iure ver. ac iud.* Lips. 1751. Sect. II. §. 8. et Sect. III. §. 8.) adeoque etiam ab hoc tempore usuras deberi in conditione indebiti, facile intelligitur.

quum ita sint, recte mihi inde colligere videor, nullas in conditionem indebiti venire usuras.

Idemque egregie confirmat *L. 1. C. de condict. indeb.* cuius verba haec sunt:

IMP. ANTON. A. MVTIANO.

Pecuniae indebitae per errorem, non ex causa iudicati solutae, esse repetitionem iure conditionis, non ambigitur. Si quid igitur probare potueris, patrem tuum, cui heres extitisti, amplius debito creditori suo persoluisse: repetere potes. Usuras autem eius summae praestari tibi frustra desideras. Actione enim conditionis ea sola quantitas repetitur, quae indebita soluta est. PP. III. Kalend. August. Antonino A. IIII. et Balbino Consf. 213.

Legem hanc rescriptum esse, facile quisque videt ^{m)}. Auctor eius, ut inscriptio docet, est Imperator ANTONINVS, et quidem BASSIANVS filius et successor SEPT. SEVERI, a genere vestis CARACALLA, dictus ⁿ⁾. Rescripsit ille, ut eadem inscriptio docet, MVTIANO cuidam, priuato, opinor, homini. Datum vero est, anno 213. non, ut vulgo editur, anno 214. quum consulatus Antonini *IV.* et *Balbini*, quorum nomina subscriptio exhibet, non in annum post Christum natum 214. sed in annum 213. incidat ^{o)}. Haec de inscriptione et subscriptione legis dicta sufficiant; nunc ad argumentum eius ipsamque Imperatoris mentem progrediamur. Species legis haec esse videtur. Debitor quidam creditori suo plus

^{m)} De interpretatione rescriptorum conferri meretur ECKHARDVS in *Hermeneutica Jur.* L. I. C. V. §. 221. sq.

ⁿ⁾ Conf. AELIVS SPARTIANVS in *Vita Anton. Caracallae*. Ceterum quoties de iure responderit ANTONINVS noster, docent rescripta, quorum index exhibetur in *WIELINGII Iurispr. rescripta p. 16. Ind. leg. Cod.*

^{o)} Vid. PETR. RELANDI *Fast. consulares* pag. 125.

pecuniae soluerat, quam ipsi debebat, in causa, ubi lis iam erat contestata. Debitor ille mortuus erat, relicto filio, cui nomen Mutianus fuisse videtur, herede suo. Hic Imperatorem adit et quaerit, utrum pecuniam, quam pater suus, cuius heres factus fuerat, creditori suo ultra quantitatem debitam dederat, repetere possit et quidem cum usuris. Imperator respondet: Pecuniam indebite datam repeti posse, nullum esse dubium; hanc vero addit exceptionem, dummodo *non ex causa iudicati* soluta sit. Locum enim non habet conditio indebiti contra rem iudicatam *L. 36. D. fam. ercisc. L. 29. §. 5. D. mandat. p)*. Pergit Imperator: Quodsi itaque probare potueris *q)*, patrem tuum, cui heres extitisti, (vid. *L. 12. D. de cond. indeb.*) creditori suo plus pecuniae perfoluisse, quam ipsi debuit, ipsam quidem quantitatem indebitam repetere potes, *usuras autem eius summae praestari tibi frustra desideras*, hac utens ratione: *actione enim conditionis* (simili modo, ut in *L. 1. D. de R. V. Ulpianus* dicit: *actio petitionis*) ea sola quantitas repetitur, quae indebita soluta est. Quae quidem ratio optime conuenit cum supra allegatis legibus imprimis cum *L. 7. D. b. t. r)*. Vult igitur Imperator, tantundem solum restituendum esse, si quantitas indebite soluta est, non vero usurae *s)*.

Ex

p) Vid. pluribus GODOFR. HARTVNGII *diff. de conditione indebiti contra rem iudicatam*. Vitemb. 1713.

q) Quae ad probationem in conditione indebiti pertinent singularibus dissertationibus explicarunt V. C. AVG. FR. SCHOTT *de probatione conditionis indebiti rite suscipienda*, Lips. 1767. et AVGVST. FRID. MÜLLERVS a BERNECK *de probatione indebiti ad L. 25. D. de probat. et praesunt*, Lips. 1772.

r) Nec huic legi repugnat *L. ult. in fin. D. de constit. pecun.* quum agat de usuris ipsius indebitae quantitates nomine solutis, repetendis: quod licet. vid. *L. 26. §. 2. D. de cond. ind.*

s) Conf. ad hanc legem VOETIVS *Comment. ad Pand. sub hoc tit. §. 12. in fin.* HVB. GIPHANIVS *Explan. difficil. et celebr. leg. Cod. Inst. p. 234. sq.* IANVS a COSTA *Praelection. ad illustr. lect. iur. civil.* (Lugd. Bat. 1773.) p. 203. sq.

B

Ex his satis apparere arbitror, iure Romano usuras in conditionem indebiti non venisse. Eodem vero iure hodie quoque vitimur, quum nulla obftet ratio, quare Iuri Romano hac in re usum denegaremus: atque huic regulae standum est, donec legibus particularibus aliud cautum inuenimus *).

§. V.

Aliorum ea de re sententiae recessentur et refutantur.

Exposita sic nostra de quaestione proposita qualicunque sententia, breuibus adhuc, quae aliorum de ea sint sententiae, videamus. Alii iique plurimi putant, conditionem indebiti fuisse iure Romano actionem stricti iuris. Iam, quum in actionibus stricti iuris usurae non deberentur, nisi promissae essent *L. 1. L. 3. C. de usur. L. 24. D. de praeser. verb.* at in conditione indebiti ob naturam negotii promissae esse nequeant, inde consequi aiunt, Iure Romano usuras in hac actione praestitas haud fuisse. Sed, quia discrimen illud Iuris Romani inter actiones bonae fidei et stricti iuris hodie cessat, iure hodierno secus esse, adeoque usuras in eam venire existimant **). At vero falsa est ratio, qua haec nititur sententia, nempe, conditionem indebiti fuisse actionem stricti iuris: quae si falsa est, ipsa illa sententia corruat necesse est. Equidem notissima est distinctio inter actiones bonae fidei et stricti iuris: quare ei explicandae non immorabor. Egregie autem errant ii, qui fundamentum istius distinctionis ex *§. 28. I. de*

* In aliquibus locis aliud cautum esse, negari nequit.

** Hanc sententiam tuentur HENR. HAHNIVS *ad WESENBECEIVM* tit. D. de usuris num. 2. BENED. CARPZOVIVS in Lib. IV. respon. § 1. num. 22. HEINECCIUS in *Compend. Pand.* P. III. §. 59. STRYCK in *Vj. mod. sub h. r. tit. de cond. ind.* §. 2. qui etiam praetudicium adfert, quod tamen hac non pertinet, quum de casu agat, quo accipiens in mora restituendi fuit. SCHULTER in *Exercit. ad Pand.* 24. §. 38. LVDOVICI in *Doctr. Pandectar. tit. de Cond. indet.* §. 16. et Perill. FRID. de BEEMER in *Notio Iure Controuerso* Tom. II. Obs. 108. et plures alii, communis enim fere est sententia.

de Action. desumunt, et, quae ibi recensentur, actiones bonae fidei, reliquas omnes stricti iuris esse, sibi persuadent. Pertinuit potius illa actionum diuisio ad solas actiones, quae ex contractibus iisque veris, vt Doctores loquuntur, descendebant. Prouti nempe hi erant vel bonae fidei vel stricti iuris, ita quoque actiones inde promanantes erant vel bonae fidei vel stricti iuris *). Iam, quum conditio indebiti non sit ex contractu, sed ex quasi contractu, vt supra a nobis ostensum est, facile intelligitur, eam sub hac actionum diuisione plane non comprehendi. Praeterea in ipsis legibus conditioni indebiti eiusmodi attribuantur appellationes, quae indoli stricti iuris apprime repugnant. Sic enim in *L. 66. D. b. t. ex aequo et bono introducta esse*, in *L. 14. D. eod. in aequitate fundari*, quod scilicet nemo cum damno alterius fieri debet locupletior, et in *L. 15. D. eod. naturalis esse dicitur*. Quid? quod denique, etsi dare vellemus, fuisse olim conditionem indebiti stricti iuris, ideoque vsuras in eam non venisse, id tamen valeret tantum de iure antiquo, non autem de iure nouo, inprimis Iustiniano, quo haec iudiciorum differentia penitus erat sublata †). Quae, quaeso, nunc erit ratio, quare vsurae in conditione indebiti non sunt praestitae?

Alii negant quidem, vsuras in conditionem indebiti venire, excipiunt autem hunc casum, si accipiens vsuras perceperit †). Argumenta, quae adferunt, haec sunt. Primum est: quia

B 2

nemo

*) Conf. pluribus I. H. BOEHMERI *tract. de Action. Sect. I. Cap. III. §. 19. seq.* cuius doctrinam nostram facimus, in eo tantum diuortium facientes a viro doctissimo, quod non duo genera contractuum stricti iuris, sed vnicum tantum nempe verborum obligationem fuisse statuamus, secuti hac in re duces egregios GODOFR. LVD. MENCKENIUM in *diff. de vera indole litterarum obligationis atque exceptionis non numeratae pecuniae* Lips. 1749. in Eius Opuscul. pag. 399. et GEORG. SAM. MADHINIUM in *diff. de vera indole litterarum obligationis atque exceptionis non numeratae pecuniae earumque usu in foris nostris cessante*, Hal. 1760.


†) Vid. §. ult. I. de Interd. Add. EVERARD. OTTO *Comment. ad Instit. ad dict. Spium ult. Inst.*

‡) Ita sentiunt V. C. FRID. GOTTL. ZÖLLER in supra n. c). ad §. 3. al. leg.

nemo cum alterius damno fieri debet locupletior: quod vero contingeret, si reus in conditione indebiti usuras perceptas praestare haud teneretur. Alterum sic se habet: quia per conditionem indebiti negotium non dissolvitur ex nunc, sed ex tunc, vti dicunt. Tertium denique est: quia usurae fructus ciuiles sunt *L. 34. D. de usur* fructus naturales autem in conditionem indebiti veniunt *L. 15. L. 65. §. 8. D. b. t.* Et quia vident, nihilominus sibi obstare *L. 1. C. de cond. ind.* eam intelligendam esse volunt de casu, vbi accipiens usuras non percepit. Sed ad primum argumentum quod attinet, verum illud quidem ac foecundum est iuris naturalis principium, at vniuerse legibus ciuilibus agnatum adprobatumque dici nequit; multo minus vero simpliciter procedit in materia usurarum. Er alterum argumentum verum esse, valde dubito. Si enim accipiens indebite solutum bona fide consumsit, aut perdidit, vel vendidit etiam minimo, in tantum solum tenetur, in quantum locupletior est *L. 3. L. 26. §. 12. D. b. t.* Quis quaeso dicet, hic negotium resolui ex tunc, vti DD. loquuntur? Tertium denique argumentum a diuersis ad diuersa ductum est, nequiquam enim valet argumentatio a fructibus naturalibus ad fructus ciuiles. Praeterea haud admitti potest interpretatio *L. 1. C. de cond. ind.* qua legem hanc de casu tantum, si reus usuras non percepit, intelligendam esse dicunt. Ita enim legi mens infertur, quae ei plane non inest.

Et haec sunt, quae de quaestione proposita dicenda habui. Quae vt aequis lectoribus probentur, vehementer cupio.

leg. exercitar. iurid. §. 7. sq. LEYSER Medit. ad Pand. Spec. CXLVIII. med. X. eamque ob rem Iudaeum apud BERGERVM in supplem. ad Electa Diss. for. Part. I. pag. 260. recte damnatum fuisse existimat, vt vel usuras fortis indebitae solueret, vel iuraret, se ipsum nullas ex ea, dum pecuniam penes se habuit, percepisse, et alii.


 PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
R E S P O N D E N T I
H V I V S L I B E L L I A V C T O R I O


S. P. D.

P R A E S E S.

Duplicem **TIBI**, **VIR ORNATISSIME**, gratulandi causam habeo, quarum altera est, quod cathedram conscendis, publicum eruditionis **TVAE** specimen exhibiturus, altera, quod feliciter hic emenso studiorum **TVORVM** cursu, musis nostris vale dicis. Faxit summum Numen, ut digna virtute et doctrina **TVA** praemia consequaris. Vale, res **TVA S** semper age feliciter, meque etiam absens amare perge. Dab. Hal. x. Octobr. M D CC LXXIV.

B 3

PRAE-



PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO RESPONDENTI

S. P. D.

CHRISTIANVS FRIDERICVS GLÜCK
HALENSIS. OPPONENS.

In defendenda eleganti dissertatione TVAE de vſuris in conditionem indebiti haud venientibus opponentis prouinciam vt etiam ſuſceperem, a me petiſti, et quamuis cauſae TVAE iuſtitiam ſatis ſuperque perſpiciam, tamen, cum tam officii, quam amicitiae ratio petenti TIBI denegare id haud ſinerent, me, dum id conſilii capiam, haud iniuſto TIBI titulo bellum vt ita dicam, eſſe illaturum, ſum mihi perſuaſiſſimus. Si multus in TVAE eleganti diſſertatione laudanda eſſe iam vellem, credo eſſet vrendum mihi, ne in multorum incurram reprehentionem, partim quoniam tantam video rerum laudandarum adfluentiam, vt quid primo proferrem, quid ſecundo loco, plane neſcirem, partim, quoniam ipſa diſſertationis TVAE elaboratio verae laudis TVAE teſtis eſt locupletiſſimus. Gratulor ergo TIBI de ſpatio ſtudiorum curriculi feliciter emenſo. Gratulor TIBI de laudatiſſimis, quos in Iurisprudentia, elegantioreſ quam nominant, feciſti, progreſſibus, ſic vt mihi haud vane diuinare liceat, ſtudia TVAE aliquando reipublicae emolumento, TIBI vero TVAEque familiae praeſtantiſſimae ornamento futura. Vivas ſelix, omnia TIBI proſpere cedant, meque vt amicitia TVAE etiam in abſentia proſequaris, eſt quod opto. Dabam Halae die X. Octobr. cloccclxxiv.

PRAE-

PRAESTANTISSIMO
 SCHULTZIO
 AMICO SYO DILECTISSIMO

S. P. D.

H. W. SCHNIEWINDT. OPPONENS.
 ALTENAVIA-GVESTPHALVS.

Quid ego, Suauissime, in benevolentiae TVAE ac amoris, quo me, dum in hac Alma Fridericiana tecum familiariter vixi, profectus es, laudem proferre valeo? Etenim amicitiae vincula, quibus adstricti sumus, tam sancta mihi videntur, vt ingrati sane animi prodere notas existimem, si inppeditata hac occasione, gratissimae tamen nostrae coniunctionis oblitus esse videri malim. Elogiorum mihi profecto amplissimus pateret campus, in quem perfacile excurrere possem, nisi me a longiore oratione spatium, atque inprimis singularis TVA modestia auerterent.

Contigit mihi grata sed rara illa fors, amico vti, cuius et ingenii indoles et animi ad amicitiam praestantia tanta est, vt luculentissima TVAE integritatis testimonia iam quamplurimi, quos in amicorum circulum recipere dignatus es, experti sint.

Obtigit idcirco TIBI, quod perpaucis, vt solidiori nunc doctrina adornatus elegantissimum illud specimen super quaestione: An vsurae veniant in conditionem indebiti in publicum mittas. Gratulor ex animo de hoc exoptato studiorum TVORVM successu et nihil magis opto, quam vt omnia TIBI in posterum ex voto succedant.

Interim abs TE peto etiam atque etiam, TIBI ne memoriam mei abituri ex animo vnquam elabi patiaris. Vale. Halae d. 11. Octobr. 1774.

VIRO

VIRO
 PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
 CAROLO SCHVLZE

S. P. D.

IOANNES IOSEPHVS SCHRAMM

NISSA-SILESIVS.

OPPONENS.

Quum hodie apprime praeparatus publici certaminis eruditi in-
 eundi materiaeque de indebiti solutione, eiusque ambiguus vsuris strenue
 negandae prouinciam occupaueris, exinde valde laetor, praecipue, quum
 mihi contradicentis partes tradideris, neque testem atque praekonem eru-
 ditionis aequae ac laudis TVAE nominaueris. Si verbosiores laudes indu-
 striae, amicitiaeque TVAE fati probatae proferrem, non indebite solu-
 rem, nec esset conditio, quum et naturaliter, et ciuilliter TIBI deberem.
 Sed obstat et modestia, et sinceritas animi TVI, vt testimonium publicum
 proferam de re omnibus fati perspecta. Scio, opto, et precor patriam
 TIBI breui merita ac debita munera soluturam. Nunc vale, AMICE
 OPTIME, durum dictum! vale, pergas mihi fauere, me amare, vel sal-
 tem diligere, ego nunquam non fauore, et amicitia TVA me indig-
 num reddam, solvam semper debitum nostrae amicitiae cum vsuris. Ite-
 rum vale. Dabam Halae d. 10 Octobr. 1774.

Halle, Diss., 1773-74

X 230 9444




Pr. 23. num. 20

7.

1774
2a 2a

DE
QVAESTIONE:
VTRVM VSVRAE VENIANT
IN
CONDICTIONEM INDEBITI?



14

AVCTORITATE
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
VTRVM PRAESIDIE
D. HENR. IOANNE OTTONE KOENIG
REGII SCABINATVS DVCATVS MAGDEBVRGICI, QVI HALAE EST,
ASSESSORE ORDINARIO,
ET IVRIVM PROFESSORE PVBLICO EXTRAORDINARIO,
DIE XII. OCTOBR. MDCCCLXXIV.
DISPVTABIT
AVCTOR ET RESPONDENS
CAROLVS ERNESTVS HENRICVS SCHVLTZE
BEROLINENSIS.

HALAE
AERE HENDELIANO.

